



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Florianus M. 4. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

226 VITÆ SANCTORVM. 4.Maii.
cemque, hoc est aurum, argento includere, patrem quoque unà cum auctario (clavis ejusdem) ad filium Imp. transmittere, regium utique donum. Agnovit ille signa victoriarum suarum, & summè veneratus toto imperio edixit, ne, quæ telera salutis foret omnibus, posthac improborum foret supplicium. Clavorum altero diadematis frontem, altero frenos Imperatorios ornavit, certus majores nobilioresque uniones neque Indianam posse submittere. Ex Brev.

*Quisquis desiderat ab omni vinculo maledictionis
absolvi, & plenam novæ gratiæ benedictionem consequi,
Crucem diligat; ex qua omnis plenitudo benedictionis
emanat; per Crucem se Dei mandatis astringat; pa-
Crucem effrenis Carnis incentiva cohibeat. S.P.Dam.
serm.de Invent.Cruc.*

anno S. FLORIANUS M. 4.Maii.

FLORIANVM, quem adversus ignium injurias patronum invocamus, aquæ ad Superos transmiserunt. Diocletiano Cæsare, in Norico Ripario Tribunus militaris agebat, cùm institutâ de Christianis quæstione, nomen suum ultrò detulit. Aquilinus loci præfectus fustuario primùm ejus constantiam tentavit; deinde ubi Christi nomen extundi ei posse desperavit, in Anassum flumen præcipitem egit. Impii mandati obedientiam carnicem repentinâ cæcitatem luit. Corpus exanime appulsum in scopulos aquila tutata est, Jovis olim nunc FLORIANI satelles. Ipse Valeriam religiosam feminam ad justa persolvenda corpori suo excitavit, & pietati mercedem persolvit, salubrium aquarum scaturigine, quas ægris bibisse profuit. Igne periclitantibus propitium esse pri-

mus

mus omnium carbonarius experimento didicit; suis, quas ipse sufflaverat, involutus flammis FLO-
RIANVM appellavit, & integro corpore è rogo
emersit. Beneficium luculentius fuit, quām ut il-
lud obscurare invidia vel oblivio posset. Inde po-
steris quoque mos traditus est, FLORIANI imagi-
nem cum urnâ aquariâ in fronte ædium dedican-
di. Vos illam, ô juvenes, etiam animis tutelam ad-
sciscite, adversus multò tristiora incendia, quibus
libido faces subdit, & perenne pabulum omnes
corporis sensus subvehunt. Lingua, manus, au-
res, oculi, fatendum est, incendiarii sunt animæ.

Ex Surio.

O Ignis infernalis luxuria, cuius materia gula, cuius
flamma superbia, cuius scintilla præva colloquia, cuius
fumus infamia, cuius cinis immunditia, cuius finis ge-
henna. S.Heron.in Ep.

S.PELAGIA V. & M. 4.Maii.

P ELAGIAM Tharsensem Diocletiani Deique
filius sponsam ambierunt, ille corporis, hic
animi pulchritudine captus. Respuit mortalem
procum Virgo, & cælestè conjugium præoptavit.
Paranymphus Clino fuit Episcopus, quem divini-
tus sibi ostensum inter montium latebras reperit,
ubi edocta est, qualis dos afferenda ad sponsum
esset. Ea uno verbo innocentia appellatur, quam
beati Genii donum PELAGIÆ tulere, cùm lustrico
fonte, qui ad Clinonis preces è ripe profluxit, tin-
geretur. Augusta præterea Virgo duplice diade-
mate cincta, ut vel hinc terrarum Cælique Do-
minam intelligas, palam visendam se dedit, velut
sanctorum sponsalium Antistes. Non fuit deinde
difficile PELAGIÆ hoc virginali mundo excultæ,